

est, tanti emere eius generis codices manuscriptos. Idem iudicium merentur imperantium historiae, quas auctor e Krantzio aliisque obuiis ubique scriptoribus enarrat. In regionum indole commerciisque describendis aliqua occurrunt singularia, quae auctor ipse vidit accepitque sermone cuiusque loci indigenarum. Nobilium landsassiorum etiam quasdam familias recenset, nondum editas. Verum pauca haec non respondent mercedi, qua opus diximus aestimatum esse a possessore.

XL. Georgii HORNII Orbis politicus cum notis Menkenii 1685. Lips. in 8.

Parte secunda auctor rationem habet principatum Germaniae, quos summam describit. Dictum de scriptis Hornii, an famae pretium respondeat? Dictum praeterea de commentatoribus, Felleri, & Menkenio, cuius notae sint.

XLI. Iohannis GVALTERII Chronicon Chronicorum. Francof. 1614. 8. Tomis VI.

Dictum de vero libri auctore, an is Ianus Gruterus sit? Quamuis, si dicere debeam, quod res est, typographi magis, quam viri eruditi opus esse, videatur. Hisce enim voluminibus in quoque Germaniae principatu peculiaris exhibetur scriptor, qui brevis, melioris tamen notae est. Dictum de simili instituto Reuberi, Freberi, Vrstisii, Pistorii, Goldasti, Lindenbrogii, Scharidii, Meibomii, Leibnizii, aliorumque. Graevii & Gronovii hac occasione studia adducta & aemulatio.

XLII. Francisci IRENICI Germaniae exegeteos. P. XII. Hagenaë 1518. f.

Ettelinga is fuit oriundus, docuitque Heidelbergae in ludo literario, ad quas doctrinas eum eduxerat Melanchthon fere puer. Liber rarus est, sed utilitate varietateque rerum aliis praestat eius aevi scriptis. Habes in eo Germaniam veterem, mediam & novam; rationes Germaniae cum uniuersim, tum per omnes principatus & comitatus proditas sigillatim, historicas, genealogicas, politicas, theologicas, oeconomicas, litterarias, geographicas, astronomicas, ut valde mirer, hoc adparatu ista aetate opus hoc prodiisse. Papa bibliopolam privilegio muniuit per uniuersum orbem. Isto enim tempore his limitibus ille circumscriptam esse voluit suam iurisdictionem. Naeui, quibus liber scatet, temporis magis sunt, quam scriptoris, qui nullis vigiliis videtur pepercisse.

XLIII.